Quelle: http://manuscripta.at/?ID=25873
Copyright: Admont, Benediktinerstift

qui ex utraque parte ad ludum se preparant.
illos uiginti quatuor seniores significant.
quos in apocalipsi sua describit iohannes. in sto
lis albis et coronis aureis ante thronum dei
super xxiiii. sedilia residentes. Duodecim quidem
ex parte isboseth procedunt. xii. prophetarum
typum exprimunt. qui omnes ueteris testamenti
fideles in se comprehendunt. Duodecim nichil
ominus qui ex parte dauid exeunt. xii. apostolos
portendunt. qui omnium sancte ecclesie fidelium
typum in se gerunt. Uideamus ergo ludum istorum
puerorum. ut ex eo cognoscamus conuenientiam
duorum testamentorum. SEQUITUR.

Apprehensoque unusquisque capite comparis
sui. defixit gladium in latus contrarii. et
ceciderunt simul. Compares sunt prophete
sancti et apostoli. quia utrique scriptis suis militant sa
cramentis filii dei. Sicut per caput membra re
guntur. ita per mentem cogitationes disponun
tur. ideoque per caput mentis intentio recte
intelligitur. Unusquisque ergo puerorum caput com
paris sui comprehendit. dum unusquisque preceden
tium prophetarum fidem et deuotionem sequentium
apostolorum. dum unusquisque sequentium apostolorum fidem et
deuotionem precedentium prophetarum. oculis
cordis sui in spiritu sancto attendit. Defigit
unusquisque gladium in latus contrarii. dum sententias
suas quas per gladios intelligimus. sublimem
illam suam contemplationem que per latus intel
ligitur. quia in ea uelut in latere quiescit.
recto fidei ordine. recto predicationis tra
mite. utrique insecuntur. Et ceciderunt si
mul. Simul prophete sancti cadunt et apostoli. in
die illo ammirabili et terribili aduentus
spiritus sancti. dum quicquid prophete sancti de Christi myste
riis et ecclesie sacramentis prophetando et scri
bendo mundo tradiderant. hoc sancti apostoli
predicando et scribendo mundo confirmant.
Unde recte subdit. Vocatumque est nomen loci
illius. ager robustorum in gabaon.

183

Ager robustorum. est auctoritas du
orum testamentorum. que tanto uerita
tis roboratur munimine. ut nullo um
quam falsitatis uel erroris expugnari
possit acumine. Quem scilicet agrum ro
busti illi prophete sancti et apostoli. conditores
utriusque testamenti in spiritu sancto plantaue
runt et excoluerunt. qui omnium errorum
spinas suorum ueritate dictorum et scriptorum.
de illa regali possessione sancte ecclesie
funditus exstirpauerunt. Unde be
ne ager iste in gabaon esse memo
ratur. quia nimirum ueritas canonice
scripture. in sola unitate sancte ecclesie
recte conseruatur. De hoc agro sancte ecclesie.
psalmista dicit. fundamenta eius in
montibus sanctis. Dominus narrabit in scriptu
ris populorum. et principum horum qui fuerunt in
ea. De huius auctoritate agri saluator
in euangelio dicit. iota unum aut unus
apex de lege non transibit. quia de ueri
tate canonice scripture. nichil umquam
licet immutare. nichil umquam alieno
semine licet uiolare. Unde et in prouer
biis dicitur. Non transferes terminos quos
fixerunt patres tui. fidem scilicet illam et ue
ritatem. quam docuerunt prophete sancti et apostoli.
Sequitur. Et ortum est bellum durum satis
in die illa. Bellum durum satis in die il
lo ortum est. cum spiritus sanctus de celis super apostolos sanctos
illabitur. Bellum istud in toto mundo per
latitudinem sancte ecclesie. tam a feminis quam
a uiris administratur. cum ab his qui perfec
te mundo renuntiantes. domino ihesu Christo
in ueritate seruire conantur. in fragili
carne. contra spiritalia nequicie. die
noctuque incessanter pugnatur. Quo ni
mirum bello. nichil umquam in toto mun
do durius esse potuit. dum in ipso homi
ne caro aduersus spiritum. spiritus aduersus